



DE VERA
PHARMACA
CONFICIENDI,
ET PARANDI METHODO,

Liber Primus,

In quo agitur de Simplicium delectu, generatim
tamen, de aliquorum eorum præparatione,
& de vniuersali via Pharmaca parandi.



*Proponuntur hoc in Capite omnia Simplicia gene-
ratim, quæ apud Pharmacopœos seruari
à Medicis exoptantur. Cap. I.*

ARTIS Medicæ pars illa, quæ Pharma-
ceutica vocatur, pro vsu sibi vsurpat,
& sub se continet ferè omnia illa, quæ
totum Orbem cōplent, videlicet Plan-
tas, Animalia, Metalla, Lapides, Ter-
ræ species, Aquas, & denique etiam illa, quæ te-
nellis pedibus humida Amphitrite premit, vt sunt

A candi-

candidæ Margaritæ, rubea Corallia, canoræ Buccinæ, & Purpuræ Regales: cognouit hanc veritatem Galenus lib. 6. de Simpl. facult. c. 1. dicens: *Ceterum quoniam Medicamēta omnia partim sunt Animalium partes, aut Plantarum, partim verò ex Metallis desumuntur, melius mihi visum est de Plantis ante omnia disserere, tum quòd numerosissimum est earum genus; tum quòd Virium robore præcellentissimum: inde de Metallicis tractare: atque hinc ad Animalium partes transire.* Hunc ordinem à tanto viro propositum in his enarrandis, etiam ego seruare decreui; & ideo primò de Plantis, necnon etià de illis succis, qui circa ramos earum concresecunt, aut ab ipsis emanant, tales extant gummi, atque lacrymæ: sicuti etiam non erit inconsonum rationi, modum in medium afferre, quo succi ab herbis, & fructibus exprimantur, & seruentur.

De Plantarum delectu generatim, et earum partium enumeratione. Cap. II.

UNTER Plantas Vniuersum exornantes illæ excellentiores, & præstantiores in vnaquaque specie censentur ab Aristotele lib. 2. de Plant. c. 1. *quæ semine perfecto, loco conuenienti, aqua moderata, & aere consimili producuntur: quæ si deficient, imbecilliores euadunt.* Aerem, & locum maximam impartiri vim Plantis, adaperè narrauit Theophrastus lib. 2. de caus. Plant. c. 9. his verbis: *Loca sibi accommoda arbores queritant; quippe aliæ sitientes, adamant tractus humidos; aliæ hibernos cupiunt;*